

Bibliothèque numérique

medic@

**Rabours, Gédéon de - candidat /
Santeul, Louis de - président. - An à
Legitimâ Curatione Convalescentiae
securitas ?**

1737.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2328 n°70***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax07x0070](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax07x0070)



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO.

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimā-
quartā Novembris, anni M. DCC. XX XVII.

M. LUDOVICO DE SANTEUL,
Doctore Medico, Præsidente.

An à Legitimâ Curatione Convalescentia securitas ?

I.



QUI Verbo condidit Omnia, Verbo posuit in Omni-
bus motuum Leges, quarum ordo, seu tempera-
tura, moderamenve, Priorum materiæ portionum
constituit mixturam quæ Natura est. Ex eâ surrexit
adjiciendi detrahendique scientia, nempe Medicina;
Et hanc brevè secuta sunt ad vitæ commoda inventæ
ceteræ Artes. Vix nascente aspectabili Mundo, Creatori placuit

A

2

sibi met cum Creaturâ sancire commercium. Sed Creator in Operando principium & finem complectitur semper, secûs Creaturâ continuò fingit, ferè nullos intuetur effectus, frustra Causas conatur assequi, ipsique est in cognoscendo, in amando, in agendo finis ultimus, scilicet quem colit, nunc procreans servando Deus. Quicquid igitur ab humanâ procedit industriâ, nunquàm censendum est bonum, nisi Naturæ respondeat moribus, Sensuumque nostrorum simplicitati; sic qui verus est Medelæ scopus, cujuscunque rei servatur Conformitas. Medela enim minus consistit in mutando corpore, quàm in prævidendo hominis fato, sustinendâ æconomîâ animali & auscultandâ ægrorum indole: Curatur indè per eam Medicinam quæ invicem est in Ægro, in Medico & in Adstantibus; Piissimum igitur est Medicinæ munus ac ideo difficillimum; Omnigenas postulat animi dotes, quas inter nulla inutilis, præstat quælibet, prætiique longè majoris est Imaginatio. Primas ista dat cognitiones, ad hanc aliæ conveniunt mentis Facultates & huic munificè prospicit, Qui quotidie invisibilia declarat per ea quæ creata sunt. Pignus avitæ humanitatis, scilicet Observatio, prodit quæ hactenus facta sunt in morbis; Quæ verò in ipsis deinceps facienda sunt, suggerit Spes nepotum, videlicet Judicium imaginatione promotum. Quemadmodum etiam suprema Intelligentia Materiem è nihilo duxit, ita cum Deo Humana mens servat & corrigit materiæ motus: indè prius instat Inventio quàm Usus, plurisque æstimanda sunt Consilia quàm Opera; Hæc vim, fastidium, desideria, horrorem & luctum inferunt; Ista Numinis providentiam nunciant & Hominis perspicacitatem, verèque habentur legitima, Si ea exceperint vel perfecta Sanitas, vel Morbus necessarius, aut saltem priore Minor.

- I I.

UT valetudini benè consulat Medicus, in Ægro consideret necesse est, Quis iste per Morbum videatur, Qualis antea fuerit, Quis postea futurus sit. Tres isti status tria continent tempora, quorum prius & posterius solis patent Medicis, Præsens verò, quod medium est tempus, vel ministris & adstantibus innotescit. Ex præterito adumbrantur Causæ antecedentes: Ex præsentē liquent Causæ internæ, symptomata, sive propria, sive adscititia, & diversæ quæ afficiuntur partes. Quoad futurum prævidentur Morbi vel celeritas, vel longitudo, Medendi occasionēs, Crisium genus & intervalla, Mortis necessitas & hora, alterius Incommodi vel ortus, vel successio, &, quod præcipue

intenditur, Sanitas : Quid autem ³ ista sit, aliter Phisicè, aliter Medicè consideranda est. Quæ Phisica audit, est omnium functionum integritas cujusslibet vitii expers ; Quæ verò Medica dicitur, simplex est vitæ perennitas, parta sæpè sæpius alicujus organi dispendio, cujus opus nunc languet, quandòque cessat, aliàs fit perperam. Utramque sanitatem molitur Medicus, attamen neutrius auctor est. Sapientior ille qui neutri officit unquàm. Ut Natura sola suscipit, aut aliquandò suscitatur Morbum, ita sola eundem perfectè discutit. Instantibus ideò ultimis motibus, à remedio temperandum. Cessare debet Medicus ubi urgentiora cessant, aut diutius sæviunt accidentia. Causæ quæ pendent à solidorum affectione non immediatè delentur Medicamentis, sed iis primùm & unicè emendatur fluidorum resistantia, atque dein solida sponte suum recuperant tonum. Hinc permanentibus corporis macie, artuum debilitate, imò oriente nonnunquàm altero affectu, adest intermedium Tempus quod vocatur Convalescentia, Securitatis plena, ubi Æger sibimet commissus, absque radio & sine Mortis periculo, ad tertium vergit statum, nempe Sanitatem, Naturæ aut Medici votis conformem.

I I I.

LEGITIMA Curatio eam spondet Convalescentiam. Ab illâ enim Æger quantumvis Morbi & remediorum sollicitatus comamine suorum jurium permanet compos. An ulla sint Humanitatis jura dubitat Inspiciens ; Dicit tamen in corde suo, nihil esse antiquiùs quàm venustatem formæ, membrorum agilitatem, organorum numerum, vitam immunem doloris. Alia etiam, quæ ipsum edocuit Medicus, jactat pretiosa, nempe viscerum temperiem, conformationem, motum, nexum, consensum, & horum omnium consecrariam Mentis & Corporis inter se reciprocationem. Ad hæc servanda jura, natæ sunt quædam vivendi Normæ, quibus salubriter rebus utitur externis ; factæ ideò sunt ipsis congeneres medendi Leges quibus dissipantur Morbi ; Utraque profunt quandiù Oeconomia animalis vi suâ superat Cibos, Humores & Medicamenta. Sola symptomata contrariis curantur. Eorum nonnulla aliquandò causis efficientibus proximè adhærent, tuncque auxilia eo sunt adhibenda artificio, quo infra naturæ motus agant, ne ii, aut mutantur, aut irritentur, aut minuantur. Sine recidivæ metu ferè semper aliquid relinquendum est in Morbis, si liqueat sponte evacuari posse ; In hocce præcepto tota versatur Medica paxis. Quæ in alendo, eadem in medendo observan-

A ij

4

dæ cautiones. Tempore accessionum benè subtrahuntur cibi, ira & prudenter à remedio abstinetur. In Morbis intermittentibus & Chronicis, paulò post purgationem, aliquid, ad motum ventriculi compescendum adhibetur alimonix; illud idem efficit in acutis quod post Catharsim conceditur Narcoticum; Morbi cujuslibet acuti primordium est immodica vigilia, difficilior quando mentitur soporem. Eadem nutritionis, vel suspensæ, vel alicubi vitiatæ effectus, brevi fit causa cujusdam fluidorum corollarii quo insolitè vibrant arteriæ. Ille motus, qui Febris dicitur, crebriùs exacerbatur longiùsve perseverat, 1º. Pro succorum deviorum diversa copiâ, 2º. Pro ipsorum faciliiori aut difficiliori quotidianâ detractiõne, 3º. Pro visceris malè nutriti cum corde & cerebro viciniâ aut sympathiâ, 4º. Pro illius partis majori vel minori mole: Indè intelligi possunt Sexcenta febrium discrimina, Hinc in ipsis maximè confert urinarum & dejectionum diligens inspectio. Sic lymphæ sanguinisque innotescunt circuitus, fibrarumque Motus tempestivi, utiles & ordinati. Sic perspirationis aliarumque evacuationum perspiciuntur variationes, à quibus pendent Coctionis signa, quâ deficiente gliscunt dolores & pericula. In curandis affectibus acutis, concilianda quantum potis est, Liquidorum æqua distributio. Majora idcirco vasa Venæ-sectione inaniri debent, lymphatica etiam idoneo tempore deplenda sunt Purgantibus. Locorum autem affectorum habeatur potissimùm ratio. Natura nullo cogatur impetu, liberata tantùm suas ipsamet efficiat Crises. Has ritè peragi judicetur, statim atque Ager nutrirî incipit & benè se gerit ad omnia quæ sibi offeruntur.

I V.

SE C U R E Convalescens somno gaudet quem ipse laudat & mirantur adstantes, primùm fugaci, dein crescente sensim, tandem ad horas factò longiori: Pulsus adest flexilis, nondùm intensiõis & febriculæ depurgantis expertus. Humescit cutis, mollescitque; obliteratus resurgit Partium textus cellularis; Sese ex majorum vasorum libertate recreat pulmo; Expeditiora fiunt ventriculus & intestina; Accedunt alimonix appetitus, ejusdem apponendæ occasio & opportunitas; Mox quæque fit præ quantitate & velocitate sensilior secretio, imperfecta, donec solum recuperaverit processum; Denique summum est properantis restaurationis indicium, scilicet identidem renascens Veneris stimulus. Prompta minùs nec adeò felix convalescentia in Morbis Chronicis quàm in Acutis; illi organa mobilia vix in consensum trahunt, circum-

scriptas tantum obsident partes, inde ratio solvuntur Criticè, nisi
 ipsis supervenerit febris, cuius motu humor peccans sub secretio-
 num larvâ diffatur, secus idem in loca impervia nunc diffunditur,
 quandoque colligitur, alias congeritur, & inde varia fiunt Decu-
 bitus, Abcessus, Tumores, Concretiones. Morbi Chronici alii à
 pravâ Conformatione, alii ex perverso Vivendi genere; sunt quos
 procreant nonnulla animi Pathemata; suos pariunt hæc vel illa
 Exercitia; suos etiam certæ Tempestates; alios accersit Contagium;
 alii excipiunt Venena; quidam à Sexûs pendent discrimine; qui-
 dam sunt Acutorum morborum fœturæ ineluctabiles; aliqui sunt
 malæ Curationis flagella, eò tristiora, quod mortem aliquoties in-
 ferant, aut animum & corpus impediunt doloribus, mœrore,
 convulsione, artuum impotentiâ: Stibium v. g. citius vel ve-
 hementius assumptum infligit morbos, qualia sunt Paralysis, Epi-
 lepsia, Tenesmus, Vomitus, Sputatio Sanguinis, Febris hæctica,
 ani Fistula, Stranguria. Ex Catharsi, sæpè sæpius sub lethali specie
 torminum ventris & diarrhææ, Phtisis ad intestina convertitur. Post
 præcoccem Kinæ Kinæ usum in febre intermittente, Plures ex inopi-
 nâ pereunt Apoplexiâ; Ex eodem cortice Purulentæ fiunt, quæ sim-
 plices erant, pulmonum inflammationes, Nec rara grassatur Cache-
 xia. Præceptis nimium crebræ aut inutilis Chalibeatorum admo-
 tio sæpè movet Asthmata sicca, Hydropes, Icteros; Opium citius &
 frequentius vel ore sumptum, vel injectum ad uteri quascunque
 inflammationes, in hacce parte gignit Ulcera insanabilia. Sanguinis
 missio ex hac venâ potius quàm illâ, plures parit Abcessus tum
 internos, tum externos; Repetita Saphenæ sectio perennes exci-
 tat Convulsiones, nunc histericas, nunc hypondriacas, atroces
 nonnunquam & siccas ciet Hæmorroides atque tædiosa pedum
 Oedemata; hodiè eadem Sanguinis missio nimium decantata Deli-
 rium auget, Sputa retinet, aut cruenta reddit, Suffocationem pro-
 vocat, istaque damna tardius reparat velox venarum brachialium
 apertura. Hæc omnia, quæ apud ægros observantur, eam arguunt
 curandæ methodum, quâ fibrarum pessumdatur elater, liquidorum
 mutantur directiones, & in utrisque turbatur conspiratio; Sed evin-
 cunt etiam Convalescentiæ securitatem pendere ab eâ remediorum
 administratione, quâ Intemeratus servatur viscerum consensus.

V.

QUI verè Medicus est faciliè discernit Curarum delicta à mor-
 borum horroribus. In his suppetit Naturæ quantumvis lacef-
 sîtæ genius, serpit in illis Veneni tanquàm propinati indoles. Ubi

A iij

eam emendare satagitur primarius necessariò negligitur affectus ; donec redierit genuina œconomia animalis oscillatio. Nimium calamitosos aberrantis Medicinæ lapsus crebriùs produnt opera Chirurgica aut mala , aut intempestiva , perversus Purgantium , Sudoriferorum , Cardiacorum , Causticorum usus , in morbis falsò Veneri datis Frictionum vel Suffumigationum iniquitas. Non semper affectanda perfecta sanitas. Sunt ægrotudines quibus est indulgendum ; Sunt aliæ quas oportet futuras expectare , surgentes fovere , promovere tardas , imò absentes æmulari. Talia sunt in lethargo , peripneumoniâ , pleuritide , Abcessus & Dolores aurium , Parotides ; in ophthalmiâ , surditate & quibuscumque capitis affectibus , Alvi profluvium ; in diuturniori dysenteria , Ructus acidus , Vomitus ; in doloribus capitis ex frigore & vento ortis , Gravedines , Sternutationes , Muci narium ; in maniâ & melancholiâ , Varices , Hæmorrhoides , tibiæ Ulcera ; in morbo comitiali Febris quartana ; in catharro Tertiana diù protrahenda , in tussi siccâ , Dolor in coxam , aut in crura , aut in testem irruens ; in aliis pulmonum vitiis , quæcunque Cutanea labes & Arthritis , cui parcior raròque lacteus imò nonnunquam vegetus & vix assueto dispar sufficit cibus. Post febrem ardentem perfectè judicatam , Dolor pedum permanens ; in hepatis tumore à veteri quartanâ reliquo , Febris ingruens continua cum Sudoribus , aut Dysenteria Fluxusve sanguinis deorsum exeuntis ; in leipiriâ , Cholera superveniens ; in infantum tinea , quæ repulsa Scrophulas parit incurabiles , Pediculorum ortus. Horumce utilium morborum supplementa sunt quæ finxit Medicina , nempe Sinapismi , Vesicantia , Cauteria , Fonticuli , Sternutatoria , Frictus , Balneum , Scarificationes , Hirudines. Ars nostra nequicquam tentat nisi stet superior partium harmonia. Eæ ergò proponantur ,

MEDICINÆ PRACTICÆ LEGES.

1^a. In omni Curatione præcaveantur organorum deliquia , facili-
tentur metastases , avertantur decubitus , ideòque inquiratur quæ-
nam sit pars affecta , an eadem , vel primariò laboret , vel sympa-
thicè , an humores præpediti , aut disjiciantur hinc inde , aut reti-
neantur diutiùs , aut nullibi sistant.

2^a. Conjiciantur sagaciter genus & tempus solutionis , hisque
intellectis , videatur ex primis naturæ laborantis motibus quâ viâ sit
inchoandum , quo casu proindè satis sit dieta , quandò , quibus ,
quoties & ubi vel vena secanda sit , vel adhibenda purgatio , &
quænam , an superna , an inferna , nùm initio aut fine morbi , nùm
antè aut per accessiones.

3^a. Anceps nunquàm suadeatur remedium. Dubitari potest an ea quæ præscribuntur profutura sint, sed non nocitura certò debent cognosci.

4^a. Minimè assentiatur Ægro refraganti consiliis quæ ratio, experientia & conscientia suggerunt, quippè Medicina nata est vulgi præjudiciorum hostis.

5^a. Credatur potissimùm venæ sectioni. Cæteris Medicamentis longè efficacius integritatem conciliat humoribus, tonum restituit solidis, cruciatus mitigat, resarcit aliquandò vires perditas, & præsertim, vel morantes excitat, vel suppressas renovat evacuationes.

6^a. Eligatur venarum locus; aliter sanguinis missio vi suâ defraudatur; Nam ut humores in primis viis peccantes educi nequeunt indiscriminatim, aut per vomitum, aut per secessum, ita vitiosus nequit elici sanguis hæc vel illà venâ. Quælibet secta quemlibet fundit sanguinem, sed non eum mittit qui hæc vel illic regurgitat.

7^a. Habeatur ratio viscerum abdominis, pectoris & cerebri, ut vena determinetur secanda, ideò etiam perpendantur Ægri temperies, habitus, cutis color, scabrities, squallor, partis affectus, morbi causa, & ejusdem fugacia quædam accidentia, qualia sunt ventris intumescencia, compressio, renixus, dextri sinistrive, vel pungens, vel gravans, hypocondrii tensio, hæmorroidum aut menstruorum fluxus, hæmorrhagia narium major vel minor, quidam capitis dolores vel antici vel postici, vertigines, inflammatio oculorum, caligo, lacrymæ spontaneæ, linguæ albedo potissimùm ad radicem, aut ejusdem in centro siccitas, asperitas, rubedo, nigror.

8^a. Non habeatur corpus ut dolium, cerebrum ut alembice, cor ut anthlia, pulmo ut flabellum, ventriculus ut marsupium, abdomen ut sentina, arteria & vena ut syphus, glandula ut filtrum, ex istius modi similitudinibus plerique oriuntur venæ sectionis & purgationis errores.

9^a. Sola plerùmque, crebra saltem & prior, præscribatur brachii venarum sectio, quandò turgēt sanguis aut lymphæ & adest omnium æqualis viscerum pressio, quandòve eadem peculiariter infestat pulmones.

10^a. Exuberans intra majora vasa sanguis sat primum detrahatur, secus nulla fit singularis & commoda aut derivatio, aut revulsio.

11^a. Remediorum quæ dirioribus, aut diuturnioribus morborum symptomatis specificè medentur, minor dosis anteponatur majori, atque ad tempus augeatur quâ proportionē affectus mitescunt.

12^a. Quorumcumque auxiliorum indole, quantitate, numero, nec debilitetur, nec convellatur Ager, sentiat intimè quid ipsi profint, quid ipse sibi valeat, aut si delirio capiatur, illud idem adstantibus significet naturali gestu decentique suâ in lecto figurâ.

13^a. Adunante Medico conspirent invicem Diæta, Pharmacia & Chirurgia; Nulla vis extranea superet animale robur; sic redit à morbo perfecta sanitas, aut qui eum alter sequitur affectus, vel necessarius est, vel priore minor.

Ergo à Legitimâ Curatione Convalescentia securitas.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus-Jacobus Pi-	M. Gabriel Antonius Jac-	M. Petrus Afforty.
pereau.	ques.	
M. Joannes Isoard.	M. Claudius de la Vigne de	M. Claudius - Antonius
	Frecheville Medicus Re-	Renard.
	gis & Domus Reginæ	
	ordinarius.	
M. Bartholomæus Murvy.	M. Joannes Damianus Che-	M. Franciscus Bailly.
	valier.	

Proponebat Parisiis, GEDEON DE RABOURS,
Genevensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1737.
à sextâ ad meridiem,

Typis QULLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1737.